

# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

CORSO UMBERTO I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

## Sedes aliae tum in Italia, tum apud exteris civitatem:

Alba (cum off. in opp. Canale), Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO (in Aegypto), Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, COSTANTINOPOLI (in Turcarum Imperio), Derna (in Cyrenaica), Fabriano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Frascati, Frosinone, GENOVA, Lucca, MALTA, Mondovi (cum off. in opp. Carrù), Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI (in Gallia), Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

## NUMMARIAE MENSAE ROMANA RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit:

a) iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3 %, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000. — Pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est;

b) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4 %, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim;

c) parsimoniae fovendae sub specie, anno fructu 3.60 %, cum facultate quotidie deferringi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA:

a) prescriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur;

b) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit;

c) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae;

d) litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur;

e) exteris nummos negotiatur eorumque collybum exercet.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

## Res in custodiam Mensae traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA fiduciarias res accipit: pecuniae nomina, capsas, cistas latae etiam mensurae, modicam sibi retributionem repetens ex declarato pretio. Recipit pariter pecuniam ad publicorum operum administrationem, nomina tum industriae tum commercii, libellos ad parsimoniam, etc. Deposita huiusmodi fasciculo non clauso exhibentur; acceptorum testimonium concrendi traditur, in quo singillatim res describuntur. Ad ipsius concrendis libitum, pretium syngrapharum exigitur, nomina sorte ducta explorantur, etc.

## Res capsarum in custodiam traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA peculiare officium constituit ad res pretiosas, pecuniam, nomina aliaque huiusmodi servanda in capsis conducticiis ex chalybe, quae, in magno conclavi collocatae, omnino pariter ex chalybe extructo, securitatem maximam tum contra incendia, tum contra violationem quamlibet offerunt. Huiusmodi capsae habentur parvae, mediae, maximae; habentur quoque et armaria; locationisque pretium est prouti sequitur:

	Ad mens. 12	Ad mens. 6	Ad mens. 3	Ad mens. 1
Pro capsis parvis:	lib. 15	lib. 10	lib. 6	lib. 4
» mediis:	» 25	» 15	» 10	» 8
» magnis:	» 30	» 20	» 15	» 10
Pro armariis:	» 40	» 30	» 20	» 15

praeter custodiae ius pro singulis lib. 1000 (ad minimum lib. 1000), constitutum lib. 0.35 ad annum. — Depositor libere sua capsa frui potest ab hora decima ad decimam septimam cuiusque diei, festis exceptis.


# ALMA ROMA

PER. IT.  
ALM. ROM.  
1917-1919



C. DEL VECCHIO.

QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus  
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

## Sedes aliae tum in Italia, tum apud exteris civitatis:

*Alba* (cum off. in opp. *Canale*), *Albano Laziale*, *ALESSANDRIA* (in Aegypto), *Arezzo*, *Avezzano*, *Bagni di Montecatini*, *BARCELLONA* (in Hispania), *Bengasi* (in Cyrenaica), *CAIRO* (in Aegypto), *Canelli*, *Castelnuovo di Garfagnana*, *COSTANTINOPOLI* (in Turcarum Imperio), *Derna* (in Cyrenaica), *Fabriano*, *Fermo*, *FIRENZE*, *Fossano* (cum off. in opp. *Centallo*), *Frascati*, *Frosinone*, *GENOVA*, *Lucca*, *MALTA*, *Mondovi* (cum off. in opp. *Carriù*), *Montblanch* (in Hispania), *NAPOLI*, *Orbetello*, *Orvieto*, *PARIGI* (in Gallia), *Pinerolo*, *Porto S. Giorgio*, *Siena*, *Tarragona* (in Hispania), *Tivoli*, *TORINO*, *Torre Annunziata*, *TRIPOLI* (in Africa), *Velletri*, *Viareggio*, *Viterbo*.

## NUMMARIAE MENSAE ROMANA RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit:

a) iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000. — Pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est;

b) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4½%, si mensium duodecim;

c) parsimoniae fovendae sub specie, annuo fructu 3.60%, cum facultate quotidie deferringi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimititur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA:

a) prescriptions compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur;

b) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit;

c) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae;

d) litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur;

e) exteris nummos negotiatur eorumque collybum exercet.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

## Res in custodiam Mensae traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA fiduciarias res accipit: pecuniae nomina, capsas, cistas latae etiam mensurae, modicam sibi retributionem repetens ex declarato pretio. Recipit pariter pecuniam ad publicorum operum administrationem, nomina tum industriae tum commercii, libellos ad parsimoniam, etc. Deposita huiusmodi fasciculo non clauso exhibentur; acceptorum testimonium concrendenti traditur, in quo singillatim res describuntur. Ad ipsius concrendentis libitum, pretium syngrapharum exigitur, nomina sorte ducta explorantur, etc.

## Res capsarum in custodiam traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA peculiare ufficium constituit ad res pretiosas, pecuniam, nomina aliqua huiusmodi servanda in capsis conducticiis ex chalybe, quae, in magno conclavi collocatae, omnino pariter ex chalybe exstructo, securitatem maximam tum contra incendia, tum contra violationem quamlibet offerunt. Huiusmodi capsae habentur parvae, mediae, maximae; habentur quoque et armaria; locationisque pretium est prout sequitur:

	Ad mens. 12	Ad mens. 6	Ad mens. 3	Ad mens. 1
Pro capsis parvis:	lib. 15	lib. 10	lib. 6	lib. 4
» mediis:	» 25	» 15	» 10	» 8
» magnis:	» 30	» 20	» 15	» 10
Pro armariis:	» 40	» 30	» 20	» 15

praeter custodiae ius pro singulis lib. 1000 (ad minimum lib. 1000), constitutum lib. 0.35 ad annum. — Depositor libere sua capsae frui potest ab hora decima ad decimam septimam cuiusque diei factio exceptus.

Ann. IV.

Romae, Idibus Ianuariis MCMXVII

Fasc. I.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4½; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

## “ ALMA ROMA „, IN ANNUM MCMXVII

Quum, superioris anni labore inuenientes, qua peculiari ratione eum essemus persequuturi explanaremus, haec adamussim verba fecimus: « In ea persistemus, quam probatam sociis et antiquis et recentibus accepimus; et alias per vestigabimus, quibus unitatem cum varietate connectentes, commentarium hunc nostrum gratum magis et utilem faciamus in dies ». Erat autem propositi summa, ut quae lingua per tot saecula iure habita est doctrinae et humanitatis omnis certa atque aperta significatio, paeclarumque et nobile argumentum, quod late exstat adhuc per Catholicam Ecclesiam, ea demum apud cultos universi orbis viros talis rediret, quippe quae « amplissima semper, dives, mobilis, praestans, vel ad ea quae de hodiernae vitae usu recentibusque inventis sunt, miraque appareat ».

Haec, inquam, enunciabamus; haec novum annum ingredientes alte repetere nobis eo magis iuvat, quod a via quae ad metam adduceret deflexisse nunquam tuta conscientia asserere nos posse videamur. Si quis enim rerum quae a nobis tractatae sunt indicem percenseat, quem in fine elapsi mensis Decembris fasciculi enucleavimus, facile persuasum sibi habebit copiose a nobis fuisse comprobatum, miram illam latinae linguae vim et flexibilitatem ad omnia, vel ad ipsa nuperrima heu! belli reperta exprimenda, haud multo negotio atque commode aptari posse; ipsumque Aliae Romae Matris eloquium in tanta animorum contentione, immanisque odii vesana perturbatione, tamquam humanae

fraternitatis symbolum et figuram facile sese exhibere. Atque tamen in opere absolvendo in quo discriminibus versati sumus, quotque passi sumus aduersa! Quae tamen quum feliciter superaverimus erecto animo et firma spe, pro causa nobilissima, cui vires nostras sacravimus, ad nova eaque difficiliora adgredienda sumus parati.

Quamquam cur tristia tantum nobis effingamus? Nonne ex oriente lumen, incertum licet, emergere tandem videtur?...

Quidquid est, dies certe nobis illuxerit, si favor et benevolentia vestra, o Socii et Lectores humanissimi, nobis servabitur, cui unice confidimus. Id enim necesse est nobis, ut non solum quisque vestrum in suo consociationis loco maneat, sed operi, quod commune habemus, alios quoque adiiciat. Non semel ab unoquoque socium alterum unum quaesivimus; eandem hodie industriam a singulis reposcimus, modicam quidem vobis; maximae, e contra, operi nostro utilitas. Et necesse insuper, ut quisque regulariter pretium consociationis sua solvat. Pudet profecto rem iterum iterumque recordari: sunt adhuc qui subnotationis debito ab ipso initio non satisfecerunt; sunt, iisque maiores numero, qui, licet pluries ad rem opportune invitati, neque commentarii fasciculos reiiciunt, nec, eos iamdiu retinentes, pecuniam ullam pendere certum sibi faciunt. Quomodo iustitiae, aut saltem aequitatis rationes secum isti computent, profecto ignoramus: id unum recogitent velimus, sacrificia nostra ad commentarium provehendum; recogitent, ob tristissima haec tempora, eo esse deuentum, ut singulorum fasciculorum pretium stet nunc nobis fere duplum!... Atque tamen nos **pretium consociationis immutatum reliquimus**, quod est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; sh. 10; rubl. 4  $\frac{1}{2}$ ). Quin imo pro iis qui societatem nostram nunc sint inituri **subnotatio extraordinaria** ea ratione, uti monuimus, condicta est, ut tum *Almam Romanam* ipsi habituri sint a mense Novembri MCMXVI ad mensem Decembrem MCMXVII immutato annuo consociationis pretio, tum integra commentarii collectio, scilicet a mense Maio MCMXIV ad expletum usque annum MCMXVII, iis tradatur solutis libell. 30 si in Italia; libell. 40, si extra.

Pro omnibus denique non unum, hoc anno, sed **duo praemia semigratuita** constituimus. Sunt haec et *Milesiae illae fabulae* « *Fridianus* » et « *Fasciculi prandium* » tanto cum favore et plausu acceptae, quas Moderator noster scenis exaravit apud ephebea facile agendis; et Herminii Iacobelli opus illud « *In campo latinitatis novi flores* », latinitatis amatoribus vere *Vademecum*, quod Summus Pontifex non iunioribus tantum utile dixit ac necessarium, sed et grandaevis valde delectabile. Est profecto recentiorum rerum lexicon parvum elegantia ratione concinnatum, quod non minori bono stabit patrum sermonis studio propius altiusque vacantibus. Perpolita charta ac manufacta nitide

impressum, volumen consociatis nostris tegumento solutum cedimus libell. 1,50; xyлина structura aureoque titulo elegantius contextum, sectione foliis rubricatis, optimum profecto memoriae ergo atque donationis praemii gratia, libell. 2,25. Ambas autem fabulas illas ad socios mittemus, qui libell. 1,25 subnotationis pretio addiderint. Ad fruendum vero et consociatione extraordinaria et hisce praemii, oportet omnino, ut mandata recto tramite, sive per publicum cursum, sive per syngrapham apud aliquam nummariam mensam Romae exigendam, sive etiam per commissionem apud extera in Urbe seminaria et collegia, deferantur ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Equitem Torquatum, Romam, *Via del Governo Vecchio*, 96.

Haec animus, haec studia huius anni nostra; ut ille magis magisque confirmetur, haec perficiantur, in vestra praesertim manu est, o Socii et Lectores humanissimi.

ALMA ROMA.

De rationibus  
quae ad latinae linguae cognitionem  
facilius ducant.

I.

Ex iis quae in egregio hoc bonarum artium et litterarum commentario disserui de rationibus quae ad nobiliorum linguarum cognitionem facilis ducent,<sup>1</sup> quasi necessarium corollarium consequi debere mihi visum est, ut tradita argumenta et praecepta ad linguam latinam proprius accommodarem; quod hodie facere aggredior.

In quaestione illa non insisto, quam scrupulosus aliquis quasi praeiudiciale posuerit, an lingua latina populo Romano fuerit olim vernacula; utrum scilicet Romani generatim latine locuti sint, an duplicem habuerint linguam, alteram vulgarem et vernaculam, alteram latinam. Eoque magis non in-

sisto, quum res, meo quidem iudicio, a Cicerone, teste locupletissimo, palam facta iam fuerit; qui in lib. III *De Oratore* ait certam fuisse Romani generis et urbis propriam vocem; idque probat exemplo Laeliae mulieris, quae ita loqueretur, ut qui eam audiret, sibi Plautum aut Naevium audire videretur. Sed ne quispiam putaret, Laeliam alteram linguam didicisse, id est, latinam, alteram domi ab ineunte aetate patrio sermone imbibisse, paulo inferius inquit. Nemo enim unquam est Oratorem quod latine loqueretur admiratus; si aliter, irridebant. Et in lib. I, *Tusculanarum disputationum*: « Frequens enim – inquit – concessus theatri, in quo sunt mulierculae et pueri, movetur audiens tam grande carmen ». Ex quo satis patet unam linguam, et eam quidem latinam, omnibus communem fuisse, quando pueri et mulierculae latine sciebant.

Certe haec lingua primitus incondita fuit et angustis coarctata limiti-

<sup>1</sup> Cfr. an. III, fasc. IX, XI.

bus; dein pedentem crevit, quippe ab excellentissimis ingenii aucta, exulta, nimirum

*quum lingua Catonis et Enni  
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum  
Nomina protulerit.<sup>1</sup>*

ad Ciceronem usque, quem plus meruisse asserit Dionysius Halicarnassus, quod Romani sermonis limites promoverit, quam imperii. Cui iure merito succenturiantur ceteri auctores classici, qui terse et eleganter scripserunt.

Feliciter autem pullulavit haec lingua, postquam variae res et disciplinae latinis litteris tractatae per saecula ita sunt, ut sub cortice latino omnis fere per orbem universum sapientiae divinae et humanae dulces medullae tegi et delitescere viderentur. Quamvis autem sine illa lingua sapere possimus, quis neget aegre litteratos, imo viros in quavis disciplina doctos, ista lingua carere non posse, quandoquidem ad aras latini sermonis sacramentum non Itali modo dixerunt, sed Hispani, Galli, Germani, Poloni, Norvegi, Sueci, Angli, Dani, et ipsi novissimae Americae populi? Uno equidem hoc sermone inter tot diversos populos eruditi homines se invicem intelligere possunt; qui per tot saecula semper, et nunc etiam satis frequenter, in omni rerum genere quidquid invenerunt et docuerunt, eidem sermoni paene involverunt et illigantur, pulchra aliqua interveniente contesseratione. Qui itaque omnia illa novisse, et ex puro auctorum fonte haurire desiderat, nae is linguae huic operam navare debet!

\*\*

Interea huius linguae studium, quamquam multum exhibet negotii viridioribus annis, non tamen, candide fateamur, nunc ad eius penetralia ducit, ad ipsos fontes et medullam non pervenit, sed in vestibulo et confinio circum circa serpit, per flexuosas vias et dissipendiosa itinera. Quid? Nonne est concludendum hodierni studii rationes esse commutandas? Rationes dico, quae ad scriptores intelligendos, ad latine scribendum et loquendum ducant; non quidem ad philologicas lucubrationes de ipsa elaborandas.

Caementarius murum structurus, calcem et lapides primum quaerit, sine quibus manum operi admoliri nequit. Sic prudenter quidem illos agere autumo, qui olim faciliiores voces linguae latinae, e quibus sermo familiaris construitur, tironibus primo proponebant sensimque ea lege atque omne ultra procedebant, ut faciliora quae essent ad captum discentis, sepositis difficilioribus raroque occurribus, probe inculcarent, repeterent, formulas loquendi breves ex auctore eruerent, quas discipulus ad ductum libri sui latine redderet; iamque de variis rebus, quae sub sensibus essent, loqui inciperet iuxta earum classes sibi exhibitas. Huic exercitationi assentiens, cui etiam styli exercitia accedere possunt, quae haud longius inde abeant, adesse semper et praeesse velim lexicon compendiosum, ad eam faciem adornatum, ut discipulus nudas voces latinas extra structuram variasque inflexiones saepe oculis usurpet, singulas radices cum universa sua familia, cum significatio-

nibus omnibus usitatis, phrasibusque insignioribus, quae linguae proprietatem exhibeant, consideret. Rude addam exemplum radicis *Ago*, cuius significatio nota est. Luxuriat radix haec derivatis, cuiusmodi sunt *Acta*, *Actio*, *Actus*, *Actutum*; *Agmen*, *Agilitas*, etc. Luxuriat quoque compositis, qualia sunt *Adigere*, *Abigere*, *Ambigere*, *Exigere*, *Cogere*, *Subigere*, *Redigere*, *Prodigere*, *Transfigere*, et alia sexcenta, quae methodice recensenda et paucis veniunt exponenda. Luxuriat etiam ampla phraseologia. Sic Latini dicunt: *Agere iudicem*, *Agere iniuriarum cum aliquo*, *Agere in crucem*, *Agere prae-dam*; et passivo sensu: *Res mea agitur*, *Bene tecum agitur*, *Agitur nunc tertius annus*, *Actum est*, etc. Qui haec omnia in nativa radice *Ago* contemplatur, et hac ratione per omnes linguae latinae radices, vel iuxta seriem literarum alphabeti, ducitur, (idque fieri potest parvo libello, nam cum iudicio et mica salis, necessaria a minus necessariis, usitata a sepultis seligenda sunt), tum demum facile ad auctores ibit; in quibus tunc feliciter progredi poterit, quia illotis pedibus non venit, sed amaras radices concoxit, et in linguae huius recessus atque sacraria, secundis auspiciis, admissus est; procliviter inde capiet actoris mentem, et paullulum in difficilioribus a praecettore adiutus, proprio Marte illum interpretabitur, non absque magna voluptate.

Qui vero auctores diligendi, et quam gradatione?

Si placuerit, alias videbimus.

DOCTOR HAVER.

## HENRICUS SIENCKIEWICZ

Saeviente immani bello, quo omnes Europae populi horridum in modum dilacerant, et magna rerum hominumque admiratione, res Polonorum redintegrari videntur, atque adeo in novum iterum imperium sese cogere iubentur, Henricus Sienckiewicz, lumen atque ornamentum Poloniae, ex improviso cardiaco morbo correptus, flebilis omnibus apud Helveticam civitatem, mense Novembri MCMXVI decessit.

Qui anno saeculi nuper elapsi quinto et quadragesimo ortus, ex ipsa iuventute, uberrimum acerrimumque ingenium natura nactus, in narrationibus poetis conscribendis, soluta prosa eniuit, quae praesertim de Polonorum gloria ac virtute in bellis agendis referunt; eo potissimum nomine, ut sua natio, etsi tandiu tamque barbara ratione in tres partes discepta, uno semper spiritu, uno simul animo coalesceret. Eius itaque volumina varioque titulo conscripta, at suavi quadam eodemque grandiori stilo exarata, in omnes Polonorum gentes facile evulgabantur, hilari vultu miraque omnium animorum delectatione accipiebantur, imo, incredibili omnium laetitia, terebantur manibus. Poloni enim, quamvis diurna aliena dominatione regerentur, non iam largitionibus, corruptelis, adsentationibus aliisque malis artibus, ad potestatem, ad imperia unquam nisi sunt; sed paucorum ductu atque consilio unice freti, eo semper contenderunt, ut regnum suum aliquando instaurarent.

Huc itaque Sienkiewicii scripta maxime spectabant, quae ex historia pa-

<sup>1</sup> HORAT., *Ep. ad Pisones.*

tria vulgo desumpta, omnia nationis interiora atque recondita, divina veluti arte ad suorum virtutem extollendam, summa verborum gravitate atque elegantia is exaravit. Et ipse unus patrum memoria ex Polonis, ob ingenii celeritatem atque uberrimam copiam, in omnes ceteras Europae regiones ingredi nobiliori incessu meruit, et de primatu contendere.

Cum summis enim, qui nostra aetate litterarum meritis inclaruerunt, ipse est facile comparandus. Qui et in spatium praeteriti temporis quum respxisset, Christianorum romanorum mores admiratus, Nicolai Wisemani cardinalis vestigiis insistens, volumen ilud composuit, cui titulum dedit: *Quo vadis?*, opus vere omnium hominum, per quod supremam sibi gloriae coronam iure et merito conquisivit. Quae enim latissima ad sapientiam planities! Hic Petrus apostolus, qui primum Romanam christianis moribus ornat; cui est obvius Nero imperator, sub quo ob maximas in Christianos inimicitias, post exquisitissima tormenta martyrium crucis est adeptus! Totus est Sienkiewicus in describendis illius temporis probbris, et Neronis praesertim flagitiis, sub diversis hominum nominibus. Ipsi non sunt ingentia bella narranda, neque urbium expugnations, fusi captique reges, discordiae consulum adversus tribunos, sed continuae accusationes et fallaces amicitiae, pernicies innocentium, improba in Christianos vexatio, aliaque id genus complura. Dolendum sane quod, rerum imagines ad vivum reddens, castiores aures interdum offendat, eoque magis quod incredibile dictu est quam mira forma in rebus de-

scribendis utatur atque omnium lectorum animos studio sibi facile conciliat. Sane quidem ingeniosi atque intelligentes viri summam in eo facilitatem et puritatem laudant; at magnopere gavisi omnes sunt quod potissimum Polonorum lingua et nomen post diuturnam servitutem ob hunc scriptorem quasi revivisceret.

Eum integre si quis uno verbo posteritati tradere velit, satis sit dicere: Non scenae aut hominibus serviit, ius fasque ex animi sententia libero ore defendit, vulgi studia patriae caritate posthabuit, et qualem praestare se instuerat, talem usque ad exitum servavit.

SENIOR.

## Senex sacerdos<sup>1</sup>

*Vixi, sacerdos, quinque decennia;  
vixi, sed eheu! quam procul abstiri  
a moribus, quos sanctiores  
conditio mea postulabat.*

*Olim ferebam, mysta recentior,  
sacras ad aras plus reverentiae;  
fervore tum, quem gignit aether,  
incaluisse mihi videbar.*

*Laetabar olim mystica Davidis,  
longas per horas, psallere carmina,  
queis dulce, ni fallebat echo,  
caelicolum melos assonabat.*

<sup>1</sup> Die xxii elapsi mensis Decembris MCMXVI Franciscus Xaverius Reuss noster dimidium saeculum in sacerdotio exactum explebat. Fortunatam hanc occasionem nactus, carmen hoc exaravit, non opus profecto senescens animi, immo vero iuventae robore adhuc florentis; quam igitur in aevum feliciter illi, nobisque ipsis, gratulantes ominamur. — Alma Roma.

*Quo laeta cessit mentis alacritas?  
quo flamma vivax? Vivida languit,  
ut languet artus per seniles  
torpidus hic gelidusque sanguis.*

*Assueta sensim munera segnius  
curare coepi; vix male poplitem  
flectens ad aram, fronte prona  
quam legio colit Angelorum.*

*O me profanum! scandere millies  
Altare visum, diva ubi Victima  
se dat litandam; nec ministrum  
inde probum rediisse Christi.*

*Caelestis Agnus, qui luis innocens  
peccata mundi, tolle quod improbe  
egi tot annis aut omisi,  
iunior ac senior sacerdos.*

*Grandaeva saltem fac mea rectius  
decurrat aetas; denique mortuo  
largire vitam, quae perenni  
gaudeat, usque novâ, iuventa.*

FRANC. XAV. REUSS.

## MUSICAЕ LEGES

Ex iis quae circa musicae naturam alias diximus,<sup>1</sup> quaedam leges musices propriae facile inferri posse videntur, quas etiam hic brevi recensere haud inopportunum putavimus. Sunt hae quae sequuntur:

1) Praeter gratam sonitum proportionem ad auditum, necesse omnino est ut melodia cum cordis motibus concordet, suam formam seu « ideam » non quidem singularem, sed genericam contineat, eamque tam perspicue manife-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. IX, an. III, pag. 164 et seq.

stet, ut illos revera affectus in audi-  
tibus suscitet, quos movere satagit;  
secus non musica, sed strepitus erit.

2) Melodia operis unitatem et ser-  
vare et patefacere debet; ideoque ne  
sit saepius vel perperam interrupta,  
neve ab harmonia veluti oppressa. Me-  
lodia enim et harmonia inter se haben-  
tur veluti delineatio et color in pictura.  
Quemadmodum nempe colores nec ce-  
clare nec corrumpere tenentur figura-  
rum delineamenta, ita harmonia nec  
occultare neque dirumpere debet deli-  
neamenta musicae operis.

3) Musica animi affectus exprimit  
atque exaltat: nequit igitur esse « pure  
sensifera », nec pure metaphysica, seu  
rationalis; sed utramque partem complecti debet.

4) Quum praepotens admodum sit  
musicæ vis, in solarium animi et pro-  
fectum musica adhibenda est; ideoque  
grave crimen in se admittunt, qui ea  
ad lasciviam aut morum mollitiem  
utuntur.

5) Musica unice instrumentis in-  
structa, imprimisque symphonia, praes-  
tans quidem et efficax est ad affectus  
exprimendos atque exaltandos; cantus  
tamen praestantior. Nihil enim quam  
humana vox ad animos commovendos  
pluris valet: ipsa equidem et primas  
tenet in mentis cogitationibus animique  
affectibus proferendis, et magis placet,  
sive quia nostra est, sive quia clarissima  
speciem et formam animo adumbratas  
exprimit, sive denique quia dulcedine  
et melo ceteris vocibus omnibus quam  
longissime praestat. Cantus itaque iu-  
vari instrumentorum sonitu potest, op-  
rimi vero nunquam.

Neapoli.

G. LEPORE.

## HYGIENICAE NOTAE

### De tuenda valetudine.

Brevia et sapientissima placita de valetudine edidit olim in Italis Salernitana, quam appellant, schola; et multis labentibus annis ea in medium referre atque animi causa repetere in deliciis est; et ipsi medici solemni ritu ad discipulos suos in schola identidem admirati, haec enucleare consueverunt. Iuvat et nos primas ac saluberrimas sententias recordari. En, candide lector, quae passim olim memoriter audire memini:

*Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,  
Curas tolle graves, irasci crede profanum.  
Parce nero, coenato parum, non sit tibi vanum  
Surgere post epulas; somnum fuge meridianum.  
Haec bene si serves, tu longo tempore vives.*

Et patres nostri, hanc rectam eamdemque sanam vivendi rationem secuti, ad ultimam senectam firmo corpore et vegeta mente pervenire laeti divinitus poterant.

Ipsi enim divina ope fidentissime suffulti, sed caelestia alacriores spectantes, legibus poenitentiae mordicus adhaerebant, atque pravis humanae prudentiae consiliis posthabitis, in Deo unice fiduciam ponere consueverunt. Hinc sera et sapientior atavorum aetas!

Quot vero aurea de valetudine iudicia, quot medicorum sapientiorumque optima consilia! Quamquam recentiores mortalia tantummodo respiciunt, et nunquam ad caelestia desideria lectorum animas erigunt, nos veterum prudentiam in primis laudabimus, eo-

rumque nonnullas sententias vel obiter delibantes, in rem nostram, quoad eius fieri poterit, identidem revocabimus.

De Romanis scripsit Juvenalis:

*Quanta est gula, quae sibi totos  
Ponit apes!*

At eadem aetate, Lucius Annaeus Seneca, qui tanta tamque varia eruditione acerrimum ingenium excolluit, ut aequales omnes longe antecederet, scripsit: *Si vis nosse quot sint in urbe morbi, numera fercula!* Verum omnibus aetatibus homines infelices esse maluerunt, quam gulæ modum aliquem inferre. Quo nomine Romani præ certeris *mandones* appellandi essent. Numne ipsos sequuti medici nonnulli multum comedere eos iusserunt, qui bene valere voluerint? At mox opposita omnino sententia viguit... Omnes enim nunc optime sciunt nimiis sese cibis ingurgitare noxiū omnino valetudini esse. Adest tamen aetas, cui est necessaria maior alimentorum copia; ab anno scilicet decimo sexto usque ad decimum nonum. Ab hac enim aetate usque ad vigesimum annum virtus mentis atque intellectus nova manifestari in omnibus consuevit, ac propterea abundantioribus alimentis ad vires instaurandas indiget.

Verum nemo est quin intelligat in carne edenda excessum imprimis esse semper improbandum; quum e contra modicus eius usus optime valetudini faveat. Caro enim plurimas azoti particulas ingenerat, quas paulatim et nullo prorsus opere ad nutrimentum refert. Ac propterea modestus eius usus vires ad cibos concoquendos explicat, et cor femorumque musculos roborat: sunt centum quinquaginta vel usque octoginta drachmae eius mensura.

De iuscule, quod apud veteres ex longo tempore uti carnis habebatur maxima essentia eiusque pars substantialis, quin imo vulgo appellabatur princeps hominum alimentum; hac nostra aetate, ut res habetur absque nutrienti virtute, et saepe saepius ipsis corporis membris obnoxium. Vere est hic repetendum: Multa renascentur quae iam cecidere... In medio autem stat veritas! Atqui homines quum in dies a dignitate sua secedunt, et corpora rebus caducis unice prona nimis colunt, « dispergentur ad manducandum, si vero non fuerint saturati et murmurabuntur ».<sup>1</sup>

Nec tamen aequo diutius in hac remorer, utque quibusnam modis iusculum sit aptum atque commodum appetiam, satis sit dicere, ipsum gustum sollicitare atque stimulare stomachum, et eo potissimum suadere ut optime quidquid in pectus fertur digerere possimus; cor praeterea optime in officio disponere, vitae ambitum facilem reddere, et vires, licet brevi temporis momento, et citissime instaurare.

FR. ANACESI.

## COMMUNIA VITÆ

### De muneribus offerendis.<sup>2</sup>

Ita est, sed necessitas urget. Maiora videbimus. Namque et est ineptissimum munus, citra personarum conditionem, sine prudentia atque affectu,

<sup>1</sup> Psalmus LV.  
Cfr. fasc. sup.

ac propterea inane fastidiosumque. Huiusmodi illud est quod quis haud evitare potest; tunc hoc irritat atque offendit; namque novisti offerentem nihil te facere, quem eodem pretio remuneraveris.

Est quoque pauperum donum. Quot laboribus hoc ipsi comparant, et totis artibus contremiscentes id tibi concedunt! Admirabile sane amoris pignus, quod imo eodemque tempore delectat et aggravat. Quum autem hoc donum sumis, pudet equidem quomodo illud habeas, superbis simul quod illud promeristi. Omnibus de more ita persuasum est, ut, quum voluptate dones, necessarium sit cor generosum; quum, e contrario, probi et iniqui, leves atque invidi libenter accipiant donumque aestiment sapienter. Haec opinio falsa iudicatur. Datur equidem facile, nec amore moveri videtur, neque ut sis avarus, oportet; donum ipsum id præmii in se habet, ut quandoque et avatos ad largitatem urgeat. Re autem vera multo difficilius est accipere. Namque ut id optime quis perficere valeat, simplicem omnino esse decet. Quis autem huiusmodi est? Qui citra omnem invidiam atque simulationem ceteros se ipso excellentiores admittet. Hoc autem ad summum arduum est.

Quum enim tu accipis munus, pluri-mae cogitationes tenues atque ignobiles te ipsum premunt, quae mox facile evanescunt, sed te miserum in modum agitant teque ad gratias verbis agendas impellunt. Tunc in ipsis gratiis agundis haec tacite profluunt: « Longe alia ego speravi!... Hic autem mecum multo pretiosius!... In omnibus semper auctoris ambitio adpareat!... Hoc equi-

dem iamdui expectabam... ». Sed tempus adest quo gratias agas.

At, at, quid dixi? Gratias agam? Pulcra res equidem est, libero ore fateri te aliis aliquid debere; etiamsi vero hoc sit inter necessarios, difficile est id agere atque salebrosum.

Quam pauci hoc citra austoritatem facere sapiunt!

Hoc idem est atque si ignarus fidicen lyram percuteret; qui enim hac arte minime callet, etiam si totis nervis id ntitur, vix mediocris evadit. Veritus ne nimias gratias agas, plurima verba inaniter effutis, summa vero cura vitas ne id quod rem attinet, candide dicas.

Sic e contrario peccabis si te in gratiis agendis, parcum gerere audeas, praesertim si commotus animo eris. Vel aliquo modo ab eo, qui tibi munus obtulit, tua sententia maiores gratias ob beneficia referendas esse, prae summas: hoc unum tibi omne gaudium deferuit atque deturbat, et donum relinquens atque donantem rapido cursu alio proripere cupis.

Sunt quoque nonnulli, qui dicunt semper: « Hoc est pulcrum nimis! », vel si de re minima agatur, atque ita vindetur amara quadam ratione te despicer. Est equidem qui munus sibi pulcrum nimis autumat, sed mente reputans quo melius posset ille offerre, aegro animo laceratur, suamque moestitiam ex oculis manifestat.

Quam difficile est gratias agere!

Adsunt et qui minime hominum dona desiderant, quos, mea quidem sententia, maxime deplorandos esse putabis. Quid enim dulcius quam aliis officium reddere et vicissim recipere?

De his erit prorsus dicendum, quod poëta noster de miseriis illis hominibus, de quibus, quum nihil honoris dignum egissent nullumque sibi nomen in vivis comparassent, exclamat:

*Non ti curar di lor, ma guarda e passa!*

Sed oratio mea ad terminum festinat.

*Priusquam finiam verba auspicalia,  
Meique vobis pectoris dem munera,  
Salutis potius dabo consilium.  
Viae quot amicorum commoda,  
Eosque gratiis tibi ut devincias!  
Opus sed fac caelumque laetus aspice,  
Deus sit usque recta vivendi regula.  
Grato si vulnus munus quis accipiat,  
Et memor plurimas tibi det gratias,  
Deo tu gratias repende maximas...  
Et ipsi grates male si grato feceris!  
Et quoniam loquor senaris versibus,  
Sequantur sera plurima vos munera.  
Beata vos in terris sancta vivite,  
Replete, ut olim Patriarchae veteres,  
De rore caeli, terrae de pinguedine,  
Suae Deus legis dat ut discipulis.  
Velim vos istis semper adnumerarier!  
Deo nam cari, cariores patriae,  
Dies agunt bonos citra fastidium.  
Quid possim melius vobis augurarier?  
Id olim dicere et parentem memini,  
Adhuc aetate pulcra cum florescerem,  
Quod accepisti dixit ex avunculo.  
Domini qui rerum fortunatus cumulus!  
Id unum cura leges ut perficias  
Ferunt quae in Deum proximique commodum.  
Bonam vos ita vitam hic habebitis,  
Diurnam multis recreatam filii,  
Quibus vos senes et laetitia maxima  
Ipsa dicetis munera auguralia.  
Avete, filii, meum quod dico gaudium,  
Domus meae decus, spes et fidissima,  
Deus quos precor servet et incolumes!*

SUBALPINUS.

*Spatio hodie deficiente, ad proximum numerum:*

## VETERA ET NOVA

### De monumentis castrensis

(Scripsit I. F.)



## INGENUARUM ARTIUM SPECIMINA

PRAESEPE DOMINI

A R. SANCTIO DELINEATUM.

Quam Christi nati representationem hodie lectorum oculis subiicimus, eam haud plures norunt. Sanctius enim hanc scenam non pennicillo reddidit, sed tantum delineavit, ut in aulaeo, textili pictura, conficeretur. Ab historica nar-

ratione circa locum praesepis Dominici certe aberrat; quae vero et rerum et personarum dignitas atque efficax distributio; quantus vigor in singulis vultibus; quae varietas ac dulcedo in angelorum illa gloria, in qua praesertim, aut ego fallor, summus pictorum magister revelatur!

Figuram ex aeneorum typorum collectione reproduximus, liberaliter nobis oblata.

X.



## PRO IUNIORIBUS

### *De Chlodoaldo narratio.*

Chlodoaldus quidam fuit divitis provinciae Tetrarcha, quam Cimbricam Chersonesum veteri, recenti autem appellatione Daniam docti homines dicunt, vulgus *Danimarcam*. Uxorem sibi, ut ex ephebis excesserat, eam optarat, quam et forma corporis, et dotali principatu, et genere ipso, quod ad vetustissimos Daniae reges referebat, ornamento sibi futuram confideret. Nec sane spes illum sua fefellit: post aliquot enim coniunctissime traductos annos, festivissimum ex ea filiolum tulit; nec ita multo post altera infantula est auctus; donec postremo tertiam sobolem, eamque masculam, ingenti populorum gratulatione plausuque, suscepit.

Videbatur sibi Chlodoaldus nihil reliquum habere a Superis quod exoraret, nisi ut, quod sibi liberos impertierant, eos aetati suae gloriaeque succrescentes in spem populorum tuerentur, fortunarent. Sed eius omnia consilia omnemque spem inopinus casus repente pervertit. Facta enim in oppidum, ubi commorabatur, a barbaris finitimis incursione (quod quidem bis exiguo annorum intervallo contigit), tamquam caesorum civium ingens numerus, disiecta magnam partem moenia, urbs denique universa in omni genere turpissime deformata, illius non satis animum commoverent; ingens etiam atque inauditus moeror, ob duorum filiorum iacturam, misero fuit parenti subeundus.

Horum alterum, qui Chlodoaldus patro nomine vocabatur, nec quicquam reluctantem, et Deorum hominumque filiem implorantem, navi, quae in anchoris stabat in portu vela quam primum in longinqua factura, impii praedones imposuerunt; alteram, Hildegardam nomine, pudori magis quam vitae timentem suae, et tunc primum, etsi cetera non valde verbosam, disertam supra sexum atque eloquentem, insertis in ferreas manicas tenellis manibus, innectaque collo immani pondere catena, in medium Saxoniam terrestri itinere abduxerunt. Fuit hoc, supra quam dici cogitarive potest, cum omnibus, tum vero praecipuo quodam modo grave ac luctuosum infortunato parenti; cuius in filios amor, quum vulgaris antea nequaquam fuisse, vulgari luctu contentus esse non poterat. Atque huius casus acerbitatem attentius aliquando cogitanti, mens innecta quaedam divinitus fuit; avito ut cederet regno, in voluntarium quoddam exilium abiret, non supplicium illud quidem, sed profugium portumque supplicii; neque enim tandem fieri aliter posse, ut a solitudine atque luctu, quae iam adventare ac prope adesse cerneret, senectutem abduceret.

Paruit monenti numini Chlodoaldus; vel se potius in ea causa corrumpi passus est, in quo pro natis paternus amor disertissime peroraret. Nec mora: accingitur ad iter; ingreditur, Hyacintho pueru (id enim erat natu minimo, cui uni hostilis furor pepercerat, nomen) comitante. Sed ne longum faciam singillatim provincias, quascumque adiit, recensendo, post infinitum totius Europae, magna etiam ex parte minoris

Asiae ambitum, eo devenit, quo fuerat a praedonibus, ut supra me dicere memini, Hildegarda delata. Usus est in ea regione aedibus cuiusdam principis viri, cum primis nobilis ac liberalis, quicum erat non hospitio solum, verum etiam familiaritate coniunctus. Hoc praecipue auctore, graviorem in dies aegritudinem, semperque recentem fallere studens, in summa facultate vacui ac liberi temporis animum ad venerationem adiunxit.

(*Ad proximum numerum.*)

H. L.

## ANNALES

### *Europaeum bellum.*

Hiems, magnis itineribus progreddiens, intra angostos fines immanis atque diuturni Europaei belli actionem, labentis anni MCMXVI diebus, continuuit; eam scilicet ad mutuas tormentorum et minorum agminum, fere dicam, ad velitationes ubique redigit. Quamquam, Virodunum circa, Galli veram offensionem resumpserunt, quae ad acriter disputata olim loca Louvemont, Hardaumont, Chambrettes et Benzonvaux recuperanda adduxit, et hostium frontem per aliquot millia passuum ultra removit.

Teutones et Bulgari item in Rumenia haudquam remorati sunt; ita ut Rumenorum exercitus, Bucarestino urbe relicta, in suo receptu Moldaviam versus pergere fuerit coactus. Quum autem Ploeschi deinde et Ialomitae oram hostes invasissent, Rumenis, ad

eiusdem fluminis vallem ipsam Danubium usque defendendam, fuit resistendum, columenque quaerendum ab eodem flumine, et Buzeu et Sereth; incassum licet, ut ex recentibus nunciis appareret. Bulgari interim Cernavoda urbem, quam amiserant, repararunt; neque Russorum impetus in Sarmaticis montibus, quamvis fortissimus, Teutonum copias a Rumenis op primendis distinere valuit.

Dum haec geruntur, Germani et Austriaci simul, per nationes neutri parti faventes, hostibus denunciant, sese ad pacem pronos. Quamnam vero pacem? Quum eius fundamentum quodvis tacerent, hostes incensi late belli insimularent, seque non sine ambagibus praedicarent victores, dum, si alienas terras in Europa tenent, extra Europam coloniis suis omnibus, quas plures opulentasque habebant, iam intercluduntur; ad eam sententiam facile induixerunt, in suam potissimum utilitatem eam pacem ipsos velle, quae alteri parti sanctionem nullam, nullam refectionem, praesidium nullum perferret. Hanc utique imaginem pax a Teutonis proposita, non apud bellantes modo, assumpsit; nec eam profecto mutarunt a Praeside Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae interposita officia, quibus et Helvetia et Scandinavae civitates accesserunt, ab utrisque quaerentia, ut mutua desideria aperirentur: Teutones enim responderunt mentem suam in legatorum indicto conventu tantum se aperituros. Num hinc vera pax illucere unquam poterit, cui omnino deest nota illa praecipua a Christo nunciata, et, a Vicario in terris suo, nuper etiam alte repetita,

bona nempe voluntas, ut cum iustitia pax ipsa osculetur? . . . . .

Belgarum, Galliae, Angliae, Italiae, Iaponiae, Montis Nigri, Lusitaniae, Rumeniae, Russiae Serbaeque gubernia coniunctim protestata sunt, nullam pacem componi posse, donec affirmata haud sint et iurum libertatisque violatorum reparations, et recognitio gentilicij ortus liberique status parvarum civitatum; nec denique certarerum conditio eiusmodi fiat, quae omnino causas minarum inter nationes removeat, tutelasque eas firmet, unde universi orbis securitas unica constituatur.

\*\*

In Graecia peculiari nota eventus, Decembri mense, facti sunt. Quo socii illius regni patroni securos magis rediderent exercitus suos in Macedonia operantes, itemque civitatis factiosos homines facilius continerent, Athenas classiariorum suorum nonnulla agmina exposuerant. Ecce autem ex improviso haec a seditiosis armata manu impetuntur, atque ad Piraeum se reducere adiunguntur. Hinc purgandi probri necessitas: quod Anglo-Galli nonnullis equidem Graecorum honore deponentibus petitionibus expleri iubent. Cunctatur aliquandiu Graecorum gubernium; quum vero illi a commeatu quovis Graeciam per naves suas prohibeant, ad maiora mala vitanda, fortunae animum submittit.

\*\*

Post Michaëlis principis cladem, nullum aliud nuncium **ex Abyssinorum regno** pervenit usque ad hodiernos dies; quum certiores facti sumus, omnes imperii praesides, ipsiusque Tigri-

tae regionis, novae Imperatrici sese sponte subiecisse; itaque tranquillitatemque ubique fuisse brevi restitutam; quod faustum, felix, fortunatumque augurium omnibus orbis populis, oriente hoc anno MCMXVII, siet!

Kalendas Ianuariis MCMXVII.

POPULICOLA.

## VACUI TEMPORIS HORA

Americanus ille incognitus amicus meus, cuius petitionibus satisfacere studui superiore mense Octobri MCMXVI, quum pro sua humanitate mihi gratias ageret, tamen animadvertebat me non omnino ipsi morem gessisse: « Non enim credendum est - ait - maiores nostros, in discumbendi apparatu, quae vasa ad potionem essent non adhibuisse. Tu autem de his taces; numne in mentem mihi inducere volueris, cibos sicce ab iis *caementari* solere? ».

Absit, o rerum dulcissime; imo se in vina et alias omnis generis potionis ad satietatem, aut, melius, ad ebrietatem usque se ingurgitabant, adhibebantque opportuna vasa - **pocula** nuncupabant - quae tibi hodie libenter recenseo. Fuerunt haec *calathi*, *calices*, *carchesia*, *cymbia*, *paterae*, *phialae*, *scyphi*, *trulla*; quorum tu videoas quae ad mensam hodiernam tuam aptari possint.

*Calathos* ita fuisse conformatos, ut infra angusti, mox in latitudinem sensim sese laxarent, non temere colligunt a Plinio (XXI, 5), qui lilyum, quod ad formam attinet, cum ipsis comparat. *Calices* celebratissimi fuerunt, ex iisque qui *allassontes* (a Graeco ἀλλάσσω = muto) cognominati sunt, quum proprium eorum esset a pictu-

rae ratione colores pro vario positu immutare. O miram pulcritudinem! ... - *Carchesium*, referente Macrobio (*Saturn.*, V, 21), procerum erat, et circa medium partem compressum, ansatum mediocriter, ansis a summo ad infimum pertinentibus. - *Cymbium*, ut nomen ipsum indicat, cymbae figuram prae se tulit. - *Pateras* ex eo dictas, quod planae patentesque essent, testatur idem Macrobius (*ibid.*); Cicero autem (*Parad.*, I) de *pateris filicatis* mentionem facit, quarum scilicet caelatura filicis speciem referret. - *Phialae* patulo erant ore, forma lebti non absimiles, utrinque ansatae, pede autem expertes. - *Scyphos* tantum scimus, ingentes prae ceteris poculis fuisse: itaque Horatius (*Epod.*, IX):

*Capaciores affer huc, puer, scyphos.*

*Trulla* denique - ut Ciceronis verba (*In Verr.*, IV, 27) mutuem - erat vas vinarium gemma praegrandi, trulla excavata, cum manubrio aureo.

Haec igitur de variis poculorum nominibus formisque. Materia porro, ex qua confici consuerunt, multiplex item fuit. Non raro enim conflata e ligno sunt; ita apud Vergilium (*Ecl.*, III, 37) poculis faginis occurrimus; oleagina memorantur in l. xxx *D. de Leg.*, 3; denique apud Macrobius (*Saturn.*, V, 21) hederacea; eaque peculiari nomine *cissibia* appellata. Saepe etiam materiam poculis creta suppeditavit; e quorum fictilium genere fuere Samia et Saguntina, altera e Samo, altera e Sagunto importata.

Huiusmodi vero pocula rudium et agrestium hominum propria magis fuisse putandum est; cetera vitrea, ut nunc, et crystallina exstisset, plurimis palam fit tum veterum scriptorum testimoniis, tum ipsis rebus in excavationibus Pompeiorum aliorumque loco-

rum repertis. Neque vero e metallo rara inventa sunt. Etenim, praeter aenea, quam crebro argentea atque aurea sese dant obviam! Atque haec, maioris fastus ergo, vel caelata, vel emblematis crustisque ornata. Cave tamen, ne aliud ex his cum alio confundas. Scilicet caelatura in eo fuit posita, ut ex ipso vase figurae exsculptarentur; fueruntque ea vasorum genera *toreumata* (a τορεύειν = scalpere) nuncupata. Emblemata, e contra, (ab ἐμβάλλεσθαι = immittere), ornamenta fuerunt, quae ita vasis adnectebantur, ut tamen inde adimi, ac vel iisdem iterum, vel aliis pro lubitu adiungi possent. Aequo vero atque emblemata, crustae vasis affigi solebant; attamen ab illis in eo discrepabant, quod hae lamellae quaedam essent, illa imagunculas vel deorum, vel hominum, vel animalium referrent.

Praeterea erant quoque pocula gemmis distincta; quin etiam ex una gemma constiterunt, ut exemplum habes in Tullii verbis supra allatis. Ex his autem gemmeis perillustria iure habebantur *pocula murrhina*, e murrha nempe magno lapide confecta.

\*\*

Utrum ea ab Oriente mitti solerent, an a Pompeio primum triumpho de piratis acto Romam advecta fuerint quaestionem hīc inutilem praeterimus, quo rectius ad aliquid de *potatione* dicendum deveniamus.

Adsuescebant veteres pro diversis anni temporibus vinum vel calidum vel frigidum epotare. Ad horum prius quod attinet, moris fuit ut per hiemem merum calida temperarent. Quod quidem calidae potionis genus quantopere in deliciis esset, vel ex eo argui potest, quod vulgo in thermopolis venditare tur, ubi bibosi diutius consistebant, ut

meminit Plautus in *Curculione* (II, 3). Rursus vero aestate vinum nivis ope refrigerabant. Ad id usui fuit *Colum nivarium*, vasulum tunc argenteum cibri instar perforatum; in quod, postquam nivem iniecerint, paullatim vinum infundebant, quod per illam frigescens in vas infra positum defluebat. Pauperiores autem pro colo lineum solebant saccum usurpare, ut colligitur ex Martiale (*Epigr.*, XVI, passim). Nonne hic est quoque addendum, nonnunquam ab iis, qui plus ceteris delicias sectarentur, unguenta potui fuisse immixta?

\*\*

Iamvero, ut argumentum ex omni parte expleam, nonnullas **leges convales de potatione** attingam, quarum summum arbitrium ac regimen penes eum erat, qui per sortem convivio praepositus, *Dictator*, *Strategus*, *Arbiter*, *Modimperator* appellabatur.

Praecipua igitur quaedam illa lex esse solebat, qua convivae « a summo ad imum bibere » iuberentur; cuius ea vis erat, ut puer circumferente poculum, nemo posset a potu abstinere; ex qua etiam emanasse effatum illud videtur: « Aut bibe, aut abi »; quod Graecis, totius rei auctoribus, fuit: *Ἡ πιθη, ἢ ἄπιθη*; quo proverbio id monitum volebant, aut tempori esse serviendum, aut ab humanarum rerum communione secedendum.

Constitui praeterea consuevit, quot ab unoquoque cyathi potarentur. Cyathus vero duodecimam continebat sextarii partem, exiguum sane potionis mensuram. Itaque nunquam fere unus ille ebibit; sed potius poculum, qui duplicem eum, triplicem, quadruplicem vel etiam multiplicatum amplius contineret. Ex quo vario cyathorum numero factum, ut pro sua capacitate

pocula, mutuatis ab asse nominibus, *sextantes*, *quadrantes*, *trientes*, etc., vocarentur. Quum igitur ita res esset, puer ministrando potui destinatus cyathum habebat, quo praestitum, vel modimperatoris praecepto, vel (ubi hoc latum non esset) convivarum arbitrio, cyathorum numerum admetiretur. Ipse *servus a cyatho* nuncupabatur.

Lex item non rara fuit, ut in aliquius honorem potaretur; ad quam et illa revocari potest consuetudo ut « alicuius nomen biberetur »; tot scilicet haurirentur cyathi, quot eius nomen litteras contineret.

Gravissima vero omnium habita lex ea fuit, qua diis libaretur, ita nimirum ut pauxillo vini e poculo in mensam effuso (ex quo libatio ipsa, a λεῖψει = fundere, dicta) poculum inde in honorem alicuius Numinis siccaretur. Secundis id maxime in mensis factitari solitum; nec diis solummodo, sed, ut nunc, et principibus viris.

Quibus et si tu, Americane familiaris mi, quamquam longinque et incognite, libare latine velis, en praesto tibi obsequii et officii phrases aliquot, quibuscum vere argumentum ex mea parte absolutum reputo:

*Propino (bibo) tibi!* - *Propino hoc, propino salutem tibi!* - *Bene te (vel tibi)!* - *Tibi bene vertat!* - *Commilitones, tollite (offerte) pocula: propino salutem Caio!* - *Collidamus scyphos, (pocula) salutem Caio propinando!* - *Iam exhuriarius pocula!*

\*\*

*Exhuriarius?!*... An **mensae ordinem** hodie omittes? - Apage; est enim prout sequitur:

*Iusculum abellanarum ex farinae flore.*

*Glandia et cerebra vitulina frixa.*  
*Capo elixus cum cinaris caseatis.*

*Turdi et scolopaces minores inter crustula in igne versati.*

*Orbiculi esculenti ex marcipane.*

Et bene quidem vobis edulia haec sunt!

\*\*

### Iocosa

Ad Iudicem.

**IUDEX.** - Habesne quidquam addendum in tuam defensionem?

**REUS.** - Me non esse tam improbum, ut resipere nequeam.

**IUDEX.** - Ob id ipsum per annos decem in carcere conditus manebis.

— Ohe, canis tuum gallinam mihi voravit!...

— Optime, quod me admonuisti; me enim hodie a coena ipsi impertienda abstinebo.

\*\*

### Aenigmata

I



(Lineolis viginti ex hisce figuris opportune sublatis, nomen apparebit cuiusdam provinciae in Asia Minore sitae).

II

Omnino, lector, *primum* est *aequale secundo*:

*Quid totum?* Vento vel strepit amnis aqua;

Vel gemit in silvis, dolet hic et coniuge rapto;

Vel, legum vindex, corpora discriuat.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: *Neptunus* - *Ne* - *Nenu* - *Netus* - *Nuptus* - *Nutus* - *En* - *Et* - *Es* - *Est* - *Pes* - *Penus* - *Pus* - *Puteus* - *Te* - *Tu* - *Tenus* - *Tus* - *Ut* - *Utens* - *Unus* - *Seu* - *Sunt*).

IOSFOR.

### EPISTOLARUM COMMERCIO

Cl. v. A. SCAF..., *Kitchner, Ont.* - Peccuniam, quam tuis litteris d. XII mens. Oct. MCMXVI missam nunciabas, nondum accipimus, dummodo ne ipsa fuerit, quae sinemittentis nomine a Neoeboracensi nummaria mensa Richard et Soc., uti in superiore fasciculo duodecim opellae « Francisculi prandium » die XXVIII mensis Novembris publico cursu pro te commendavimus.

Cl. v. A. FULC..., *Venetiis*. - *Epityrum*, a Romanis dictum est salsamentum ex oleis. Cato (*R. R.*, 119) eius condendi, suo tempore, rationem ita docet: « Epityrum album, nigrum, variumque sic facito. Ex oleis albis, nigris, variisque nucleos eiicio. Sic condito. Concidito ipsas, addito oleum, acetum, coriandum, cuminum, foeniculum, rutam, mentam. In orculam condito, oleum supra siet; ita utitor ». - *Copta*, itemque *Coptoplacenta*, genus edulii erat ex variis rebus contusis - (unde fortasse nomen, ex κόπτω = caedo, contundo) - quod diu ita servaretur ut longe etiam exportari sine noctumento liceret. Erat quoque valde durum; unde Martialis (XVI, 68):

*Peccantis famuli pugno ne percute dentes;  
Clara Rhodos coptam, quam tibi misit, edat.*

Hisce notis satis illud respondere putavimus, quod Senenses nostri *panforte* vulgo appellant.

Cl. v. I. QUIR..., *Neapoli*. De humanissimis tuis litteris gratias habemus et referimus, dum vota effundimus ut P. V. in pristinam valetudinem ita restituatur, ut brevi commentario nostro doctissimam operam suam conferre possit. - P. P. carmina erunt quoque nobis acceptissima.

Cl. v. I. TAS..., *Tornoduri*. - Quae omina in novum annum effundebas, pari animo reddimus. Oportet utique ut Christiani omnes « unum sint uno etiam labio ». Hoc opus, hic labor nobis, quantaecumque vires nostrae fuerint et erunt futurae! - Librum accepimus, et cuidam scriptori nostro diudicandum tradidimus.

A SECRETIS.

**LIBRI DONO ACCEPTI.**

L'abbé J. M. MEUNIER, *Traité de la prononciation normale du latin*. - Lutetiae Parisiorum, edid. V. Ch. Poussielgue.

FRANCESCO TRANQUILLINO MOLTEDO, Barnabita, *Nuove liriche sparse*. - Neapoli, edid. « Ars Italica » commentarius, MCMXVI.

Teol. ANDREA BAIRATI, *Per meglio insegnare il Catechismo*. - Augustae Taurinorum, ex Societate Editrice Internationali. - Ven. lib. 0,10.

IDEIM, *La Dottrina Cristiana insegnata col metodo ciclico-intuitivo*. - Indidem. - Ven. lib. 0,75.

IDEIM, *Raccontini di Storia Sacra*. - Indidem. - Ven. lib. 0,25.

Profa CHIARA CHIARI, *Coi nostri piccini*. - Lezioni di Catechismo per la I classe elementare - Indidem.

IDEIM, *Andiamo incontro a Gesù*. - Lezioni di Catechismo per la II classe elementare. - Indidem.

# ROMA SACRA

**Acta Benedicti Pp. XV.**

ALLOCUTIO HABITA IN S. CONSISTORIO  
DIE IV MENSIS DECEMBRIS MCMXVI.

Venerabiles Fratres,

Quandoquidem quae huic Apostolicae Sedi undique solent deferri decernenda, non ea in Consistorio, ut olim, tractari possunt omnia - sunt enim frequentiora in dies, multaque ex iis dilationem non recipiunt - eum retineamus, quem a Decessoribus accepimus, paeclarum morem, ut si quid inciderit quod christiane reipublicae intersit, vobiscum, in solemnem coetum convocatis, communicemus. Ex eo genere gratissimum est Nobis quod rem licet ad vos afferre tam magnam tamque Ecclesiae opportunam, ut eius gratia haec aetas apud posteros nobilis futura videatur. Codicem dicimus Iuris Canonici feliciter absolutum; quem Nos quidem, secundum vestra ipsorum vota, quamprimum promulgaturi sumus. Nam quo die insignia rite suscepimus Pontificatus maximi, id probe meminimus significatum Nobis a venerabili Fratre Nostro desideratissimo, Card. Antonio Agliardi, cum amplissimi Ordinis vestri nomine Nobis gratularetur.

Protecto, si quos alias, non vos fugit, Venerabiles Fratres, leges praescriptio-nesque, Ecclesiae matris providentia et

cura, iam inde ab initio usque adhuc conditas, continuatione quadam accessionum per tot saecula in eum excreuisse quasi cumulum, ut eas omnes habere perceptas et cognitas vel iuris peritissimus quisque haud facile posset. Ad haec, multorum statuta canonum cum ob temporum commutationem iam non moribus congruerent, apte prudenterque erant novanda. Quo igitur melius, cum disciplinae emolumento, constaret quae iura et instituta valerent in Ecclesia, apparebat ex Ecclesiae legibus componi codicem oportere, qui facile inter manus versari posset: id quod non solum Episcopi Clerusque exspectabant, sed omnes qui se Iuris Canonici studio dederant. Idem ipsum Apostolica Sedes cum sibi habuisset iam diu propositum, maximae tamen semper difficultates obstiterant quominus ad rem incumbere. Scilicet propositum erat divinitus, ut huius tam insignis in Ecclesiam promeriti Pio X, sanctae memoriae Decessori Nostro, deberetur laus. Nostis, Venerabiles Fratres, qua is alacritate animi, vixdum initio Pontificatu, immensum paene opus incepit, et qua deinceps sedulitate et constantia, quoad gubernacula Ecclesiae tenuit, sit prosecutus. Quod si non ei licuit inceptum absolvere, is tamen unus huius Codicis habendus est auctor, eiusque propterea nomen, ut Innocentii III, ut Honorii III, ut Gregorii IX,

Pontificum in historia Iuris Canonici clarissimorum, perpetuo posthac praedabitur: Nobis satis fuerit si, quod ille efficit, promulgare contigerit. Iam grati animi significationem a Iesu Christi Vicario universi et singuli sibi habeant quotquot e Sacro Cardinalium Collegio, ex Episcoporum ordine, ex utroque Clero, ex ipso laicorum numero aliquid operae in hanc rem, pro sua quisque sollertia et industria, tulerunt. Quod cum facimus verbis nostris perlibenter, simul suavi quodam iucundoque officio ac munere, quod ipse Nobis Decessor commiserit, fungi videmur. Praecipuas vero et laudes et grates libet hic agere dilecto Filio Nostro, Cardinali Petro Gasparri, qui quidem in confectione Codicis cum amplius oneris, quam ceteri, usque a principio sustinuit, tum egregiam suam non modo ingenii facultatem iurisque scientiam ostendit, sed etiam studii ac laboris perseverantiam, eamque ne postea quidem visus est intermittere, quam, Negotiis Publicis praefectus, gravibus aliis coepit occupationibus distineri.

Itaque hoc maximi ponderis summaeque opportunitatis opus iure confidimus fore ut valeat multum ad ecclesiasticae disciplinae nervos roborandos: quia enim notiores reddit Ecclesiae leges, ideo non parum earumdem observantiam adiuvat, idque cum fructu animarum et cum catholici nominis incremento. Hoc sane in quavis hominum societate, atque in ipsa civili universarum gentium consociatione usu venit, ut, ubi sollemnis est obtemperatio legibus, ibi in sinu pacis uberrime res florent; ubi vero auctoritas legum negligi solet vel contemni, ibi, discordia dominante et cupidine, privatim ac publice omnia perturbentur. Quod, si confirmatione indigeat, rerum cursu in quo sumus, maxime confirmatur. Horrenda belli huius insania, quae vastitatem affert Europae, nonne clamat quantum clavis et ruinarum possit existere, iis contemptis summis legibus, quibus mutuae civitatum rationes temperantur? Cernere enim in tanta popolorum conflictione licet, vel res sacras, sacrorumque ministros, etiam dignitate praestantes, quamvis divino ac gentium

iure sanctissimos, indigne violari; vel quietos cives complures procul a domo, matribus, coniugibus filiisque complorantibus, abripi; vel urbes non munitas ac multitudines indefensas aëris potissimum incursionibus vexari; passim terra marique talia patrari facinora, quae horrore animalium et aegritudine perfundant. At Nobis, hunc malorum quasi acervum deplorantibus, et quidquid inique in hoc bello fit, ubicunque et a quoquo fiat, iterum reprobantibus, illud pergratum est votum, quod Deus evenire velit, ut quemadmodum cum promulgatione novi Codicis tranquillior Ecclesiae, ut speramus, ac fructuosior quaedam oritura est aetas, sic societati civili, restituto per iuris ac iustitiae verecundiam ordine, exspectata celeriter illucescat pax, quae gentibus rursus inter se amice compotis bonorum omnium pariat ubertatem.

Iam, antequam plurium ecclesiarum vindictati consulamus, placet, Venerabiles Fratres, in amplissimum Collegium vestrum aliquot egregios cooptare viros, qui aut illustres ecclesias gubernando, aut gravissima alia munera gerendo, operam sollertiae suam Nobis admodum probarunt.

Hi sunt: PETRUS LA FONTAINE, Patriarcha Venetiarum; VICTOR AMADEUS RANUZZI DE BIANCHI, Archiepiscopus tit. Tyrensis, Domus Nostrae Pontificalis Praepositus; DONATUS SBARRETTI, Archiepiscopus tit. Ephesinus, S. Romanae et Universalis Inquisitionis Assessor; AUGUSTUS DUBOURG, Archiepiscopus Rhedenensis; LUDOVICUS ERNESTUS DUBOIS, Archiepiscopus Rothomagensis; THOMAS PIUS BOGGIANI, Archiepiscopus tit. Edessenus, Sacrae Congregationis Consistorialis Assessor; ALEXIUS ASCALESI, Archiepiscopus Beneventanus; ALOIUS JOSEPHUS MAURIN, Archiepiscopus Lugdunensis; NICOLAUS MARINI, Adiutor Noster a consiliis, idemque Signaturae Apostolicae a Secretis; ORESTES GIORGI, Sacrae Congregationis Concilii Secretarius. - Praeter hos, qui nominati sunt, allegere in Collegium vestrum decrevimus praestantes alios viros duos: quos tamen in pectore reservamus.

(Sequitur in consueta forma ipsorum EE. PP. renuntiatio).

AD PRAETORIUM<sup>2)</sup>

Adhuc furor plebis crescit per compita,  
Et omne vocibus personat inconditis ...  
Ferunt in ipsis frontibus ferociam.  
Quid in futurum? Postero quod die?  
Movent et profundi terrarum cardines ...

## SCENA II

MARIA e MAGDALO et LIBERA.

MAR. Mihi est facultas? ...

LIB. Cur sic incedis timida?

Nomine quo diceris?

MAR. Maria e Magdal!

LIB. Tun'es? Cluens virtute ...

MAR. At tempus terimus ...

Scires, premar malis quot in gravissimis! ...

Heic sum praesens, spiritus sed longius ...

Magister multis caesus adversarii,

Meo non eget equidem adiutorio ...

Tamen gravi macerant eum suppicio;

Meum quod ipse plectit cor et lacerat.

Erat qui nuper fronte venustissimus,

Eheu! totus disfluit circa corpus sanguine!

Adhuc quis hunc posset novisse denuo?

Pilati dicunt coniugem piissimam,

Totamque in Iesum proclivi pectore ...

Eam quis vetat alloqui? Ad consilium

Vocare, ut adiuvet nos in proposito?

Mater magistri cunctis infelior

Exspectat nuncium sibi dulcissimum.

Fac ut herae paucis perfrua colloquio.

Sui adversarii ducunt ad Praesidem,

Eum dicentes inimicum Caesari.

Quid? Omne pendet a consilio Praesidis.

Potest hic liberum, potest in vinculis

Tenere, potius damnare et capitum ...

Iuvat auxiliu in praesens loqui cum Fulvia ...

## SCENA III

FULVIA, MARIA, LIBERA.

FUL. <sup>1)</sup> Qui est qui Fulviam querit?

LIB. Est mulier

In urbe gaudet multis amicitiis ...

<sup>1)</sup> Ingrediens, auribus accipit ultima Magdalena verba.

FUL. Quae?

LIB. Magdalo nempe!

FUL. Tun'illa Magdalo

Cluens fama ... Christi clara discipula;

Eius quae verbis reliquisti saeculum?

Ave, soror, meo cordi dulcissima!

Sed ad me traxit rerum quae necessitas?

MAG. Magister ...

FUL. Ipse?

MAG. Moliuntur pessimi

Eum suis perdere perfidis artibus.

FUL. Scio!

MAG. Scis?

FUL. Ipsa dixit nuper Libera!

MAG. Premunt ipsi tuum virum clarissimum,

Eumque vellent criminorum reddere,

modo ut damnarent innoxium capitum.

FUL. Hoc ipsa vidi, dixi ei pro arbitrio;

Sed citra fidem! Nam multi adversarii ...

MAG. Tu vide verbis, vide exhortationibus

Eum moveri falso iuris tramite ...

Quod imminet nobis monstrum flagiti!

Nihil vidit unquam peius Jerusalem,

Iam quod prophetas tot peremisit antea!

Tu, qui potis es, fulmen averte perfidum.

Volebam paucis istis te, clarissima,

Ut essem nobis validum subsidium ...

Tibi daremus gratias quam maximas.

Virum precare, salvet ut innoxium,

Eum remittat! Innocens est! Innocens!

Eundum recto hinc ad Matrem denuo;

Gemit silentio praesens quae infortunium!

Tibi quam commendem verbis amplissimis.<sup>2)</sup>

## SCENA IV

FULVIA

Misella! Vellem tuo de consilio  
Iuvare, salvare praeclarum meritum  
Virum, qui patriam multis immemorem  
Replevit, nostra memoria, muneribus! ...

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

<sup>2)</sup> Introgreditur cum Libera.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS. - ROMAE.

## NUMISMATUM COLLECTORIBUS

Apud Commentarii Almae Romae Moderatorum numismata plura ex iis, quae gesta Romanorum Pontificum referunt et quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent, venalia prostant. Sunt inter haec numismatum aeneorum Leonis XIII et Pii X integra collectio; collectio pariter integra argenteorum numismatum Pii X; et Leonis XIII ab anno XIII ad XXVI Pontificatus eius inclusive.

Si quis aliquod vel omnia habere cupiat, rogationem simul et oblationem suam scriptis mittat ad Doctorem Josephum Fornari, Almae Romae Commentarii Moderatorum, Romam (Via del Governo Vecchio, 96).



## Sculpturae et aeneorum Museum

G. Balducci &amp; A. Giacomini

ROMAE

Via Sistina, N. 2

STATUAE HIC MULTIPLICES

TUM SACRAE CUM PROFANA

VASA - COLUMNAE - MONUMENTA

Templa, Viridaria, etc., vel ex integro  
decorantur.

Prospectus gratuito fiunt

Artificum optimi opera sua commen-  
dant huic museo, cui studia propria sunt  
ad lapicidinas.

## CONSTANTINI PISONI

Pontificia Officina Candelarum ad Sacra

CONDITA AN. MDCCCIII

pluribusque praemiis aureis et argenteis aliisque honoris  
testificationibus insignita

ROMAE - Corso Vittorio Emanuele, 127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

Candela ex cera cuiusvis dimensionis, tum simplices, tum exquisitis ornamentis  
decorae; rigidissimae vel calidissimis caelis resistentes, iuxtaque praescripta liturgica  
fabricatae, et a S. Rituum Congregatione recognitae.

FACULAE AD NOCTEM, et diuturnitate et fulgore unicae, ideoque  
iure proprietatis septae.

COMMERCIO EPISTOLARE OMNIBUS LINGUIS HABETUR.

RES AD ORBEM UNIVERSUM EXPORTATUR.



# “Credito Centrale del Lazio,,

Societas anonyma ex soluta summa libell. 500.000

ad decies centena millia libell. efferenda

oeconomicis Catholicorum Institutis Romae, in Latio eiusque provinciis conterminis  
promovendis, dirigendis, adiuvandis, amplificandis

Pecuniae sibi ad quotidianam computationem concreditaे fenus rependit  
ad 2.50 % et 3 %. — Huiusmodi commercii rationes vel per litteras instituit.

Parsimoniae libellos emittit, sive inscripto possessoris nomine, sive cuique  
latori liberos, cum fructu 3.50 %; et 4 % si de parva summa agatur.

Emittit pariter libellos vinculo adstrictos, neque non fructiferas syraphas;  
quarum tamen de quaestu convenientium est.

Exterorum nummos atque nummarias tesseras emit venditque.

Pecuniam per obligationis chirographa concedit, aliorumque nomine obliga-  
tionis chirographa exigit.

Aes alienum, acceptis commercii tutis rationibus, solvit.

Operationes omnes, quae arciae rei sunt, pro committentibus gerit; locaria  
repetit; vectigalia solvenda curat, etc.

Sedes Princeps ROMAE, via dei Cestari, 21

Subsidiariae: ALATRIAE, BRACENI, FARAE SABINORUM, PRAENESTE, SUBLACI

IOANNIS B. FRANCESIA

## ACTIONES DRAMATICAE

latinis versibus conscriptae

SATURIO ☀ ☀ ☀ ☀

EUPLIUS ☀ ☀

AD ROMAM

Apud Almae Romae commentarium

ROMAE

Via del Governo Vecchio, n. 96

veneunt singillatim libell. 1,00.

JOSEPHI FORNARI

## MILESIAE FABULAE

scenis accommodatae apud ephe-  
bea facile agendis.

## FRIDIANUS

SIVE

DE INCONDITO ADULESCENTE

ET

## FRANCISCULI PRANDIUM

Apud Almae Romae commentarium

ROMAE

Via del Governo Vecchio, n. 96

veneunt singillatim libell. 1,00.

C. DEL VECCHIO

SINGU